

TRIBUNAL ECCLESIASTICUM MAJORICENSE

Coram Ilmo. Josepho RODRIGUEZ, Officiali. Ponente

Nullitatis matrimonii: "P. M "

S E N T E N T I A

IN NOMINE DOMINI.

Pio PP. XII feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno decimo nono, die 12 iulii 1957, RR. DD. Josephus Rodriguez, Officialis-Praeses ac Ponens, Andreas Caimari et Joannes Enseñat, Iudices Prosynodales de turno, in causa nullitatis matrimonii inter P., actricem, repraesentatam et defensam per advocatum D. N. N., et M., conventum, repraesentatum per advocatum D. N. N., interveniente et disceptante in causa Rdo. D. Bartholomaeo Torres, Defensore Vinculi Substituto, hanc tulerunt in prima instantia definitivam sententiam.

S P E C I E S F A C T I

1. Postquam matrimonium, quod actrix in ecclesia S. J. die... anno... cum viro convento inierat, per quatuor annos remansit sine prole, infelix uxor, liberorum cupida, rescivit maritum suum, ob morbum venereum ante nuptias contractum et operationes chirurgicas passas, numquam liberos procreare posse. Ideo uxor discessit a viro atque ad domicilium parentum remeavit. Biennio post, intendens matrimonium suum accusare, curavit per Revd. mum Ordinarium Majoricense impetrare a marito, in Dioecesi U. degente, notitias exactiores circa naturam caeteraque adjuncta operationum chirurgicarum quas subiisset. Tunc maritus haec media probationum praebere recusavit. Mox autem, cum filia ab uxore nata, cognomine mariti in regesto civili inscripta fuisset, vir apud iudicem laicum causam de eiusdem illegitimitate promovit atque, ibidem probata eius incapacitate generandi, filia illegitima declarata est. Hac vero occasione, uxor, collectis probationibus hucusque frustra quaesitis, tandem nostro Tribunali libellum exhibuit, accusans matrimonium suum uti nullum ob

viri impotentiam. Vir conventus in iudicium vocatus nihil accusationi opposuit; unde, partibus consentientibus, dubium discutiendum sic concordatum est: "An contet de matrimonii nullitate in casu ex capite impotentiae viri".

I N J U R E

2. Canon 1068 de impotentia statuit: "1. Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit. 2. Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum. 3. Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit". Impotentia coeundi tantum, quae simpliciter impotentia vocatur, non vero illa generandi, infirmitat proinde contractum matrimonialem, cum solummodo prima secumferat incapacitatem perficiendi actum coniugalem "ad quem natura sua matrimonium ordinatur et quo coniuges fiunt una caro" (can. 1015, p. 1). Actus autem coniugalis, a natura constitutus, est perfecta copula, quae in sensu canonico habetur, quando vir erecto suo membro vaginam mulieris vere, etsi gradu imperfecto, penetrat atque seminationem saltem partialem naturali modo immediate in ea peragit. Ideo copula coniugalis seu perfecta apte a cl. Cappello definitur: "Actio qua semen verum effunditur modo naturali in vaginam mulieris" (De Sacramentis, ed. 6, vol. III, n.º 342). Quae notio, ait P. Vidal. inde commendatur, quod necesse omnino est, ut Ecclesia mediis ordinariis cognoscere possit et quidem certo quando copula coniugalis intercessit in aliquo matrimonio, inde enim pendet eius absoluta indissolubilitas (Ius Canonicum, vol. V, De Matrimonio, ed. altera, n.º 218, nota 5). Tria ergo requiruntur ex parte viri ut copula habeatur: erectio membri, penetratio vaginae et effusio veri semini in eam.

3. Cum, utroque coniuge fatente, vir conventus in praesenti causa saepe in vaginam uxoris penetraverit, omissis duobus prioribus elementis ad peragendam copulam requisitis, videlicet viri habilitate tum erigendi membrum virile tum penetrandi in vaginam foemineam, de tertio elemento, i. e., de habilitate effundendi verum semen disserendum est.

Th. Sanchez in classico tractatu "De Sancto Matrimonii Sacramento" sic docet necessitatem essentialem seminationis: "Ad valorem matrimonii non satis est potentia vas foemineum penetrandi, sed desideratur potentia seminandi intra illud; quare potens coire, impotens tamen perpetuo ad semen emittendum in vas... est incapax matrimonii... quia de ratione matrimonii est traditio potestatis corporis ad copulam coniugalem. At non reputatur copula coniugalis de-

ficiente semine. Coitus enim solum est via ad actum coniugalem perficiendum" (lib. VII, disp. 92, n.º 7). Quae seminario, ex mente eiusdem auctoris, intelligitur emissio non qualiscumque liquoris, sed veri seminis, i. e., elaborati in testiculis. Nam alibi agens de eunuchis, qui "aliquale semen emittere possunt, quamvis ad generationem ineptum", perguit dicere: "Sed indubitata sententia est eunuchos... esse matrimonii incapaces, ac proinde irritum esse matrimonium quod inierint. Quia ad matrimonii veritatem desideratur potentia verum semen intra vas foemineum emittendi" (ib., n.º 17). Atque hanc affert rationem, qua Sixtus V, Motu Proprio "Cum frequenter", 27 iunii 1587, nihil novi statuens, sed authentice declarans ius divinum, irritavit matrimonia eunuchorum et spadonum: "utpote qui verum semen emittere non possunt" (ib., n.º 18).

4. Cum aliquot annis abhinc coepit peragi operatio chirurgica vasectomiae seu sterilizationis, qua, resecatis aut ligatis canalibus deferentibus in viro, semini abrumpitur via ad eiaculationem, plerique doctores, doctrinam traditionalem circa necessitatem veri seminis ad copulam coniugalem, recte applicantes ad casum viri vasectomiati, eum habuerunt atque habent impotentem, ex paritate cum eunucho. Etenim in ordine ad foecunditatem et ad rationem veri seminis pari modo se habet secretio eunuchi et secretio vasectomiati; in primo quidem quia, cum desint testiculi elaborantes, deficit plane et radicaliter semen; in altero autem quia semen segregari ad extra nequit, abrupta communicatione inter testiculos ipsos et organum eiaculationis. Igitur, si ille censetur impotens ob defectum secretionis testicularis, secundum opinionem traditionalem, hic quoque censendus est ob deficientem seminacionem veri seminis. Ad quid requiruntur in viro, ut potens sit, testiculi, si una simul proclamatur potentiae virili non nocere si isti testiculi irreparabiliter separati sint a canalibus deferentibus? (Cfr. Revista Española de Derecho Canónico, I, 1947, pág. 196-199, "De impotentia viri vasectomiam duplicem passi", ubi P. Zalba argumentum ex paritate cum eunuchis latius evolvit).

5. Quodsi certum est ex dictamine medicorum vasectomiatos secretionem internam habere, ideoque capaces esse copulae plene satiativae appetitus sexualis atque in matrimonio obtinere posse finem secundarium seu remedium concupiscentiae, et sub hoc aspectu quaedam differentia admittenda est inter ipsos et eunuchos, tamen non adeo extollenda est haec differentia ut capaces habeantur praestandi obiectum contractus matrimonialis. Nam in primis copula "plene satiativa appetitus sexualis" non est idem ac copula perfecta, secus remedium concupiscentiae esset finis primarius matrimonii, sed hoc remedium iuxta can. 1013 est tantum unus ex secundariis finibus matrimonii, dum procreatio prolis proclamatur finis primarius matrimo-

nii. Per se autem patet fines secundarios matrimonii fini primario esse essentialiter subordinatos, neque ideo posse iustificari matrimonium independenter a fine primario único, quasi connubium institutum esset aut ad prolem suscipiendam aut ad concupiscentiam sedandam, tamquam finem aequae principalem aut coordinatum cum prole suscipienda (cfr. Decretum S. C. S. Officii diei 1 aprilis 1944, A. A. S. vol. XXXV, pag. 187; Litt. Encycl. Pii XI "Casti Connubii", A. A. S., vol. XXII, pag. 561; Alloc. Pii XII ad S. Rotam, A. A. S., vol. XXXIII, pag. 423). Aliunde, statuta aequiparatione copulae perfectae cum copula concupiscentiae sedativa, haberetur insuper consecrarium prorsus rejiciendum, quod viri qui, quamvis habiles ad penetrandum, ob naturalem quamdam frigiditatem vel aliam conditionem specialem naturae incapaces essent satisfactionis carnalis capiendae, uti impotentes ad contrahendum considerandi essent.

6. Viri quidem castratio semper permanet, quia testiculus semel ablatus numquam renascitur. De vasectomia autem est inter medicos etiam magnae auctoritatis dissensio. Quidam affirmant redintegrationem communicationis post peractam vasectomiam, inter testiculos et canales deferentes semen, non solum fieri posse sine periculo mortis, sed esse omnino facilem et obviam. Alii e contrario docent effectus vasectomiae, semel peractae, esse irreparabiles. Quare quaestio iuris, videlicet, an impotentia orta ex vasectomia impedimentum dirimens constituat, pendet a quaestione facti, utrum scilicet redintegratio sit possibilis eaque facilis et obviam necne. Hoc autem constare debet ex testimonio medicorum, qui virum, vasectomiam passum, examinaverunt, et praesertim ex testimonio medicorum, qui operationem ipsi perfecerunt, si interrogari possunt. Sicque explicatur nullamque creat difficultatem responsum practicum, alias a S. Officio saepe datum, et pro Germania confirmatum anno 1935, occasione legis iniquae de sterilizatione quorundam civium, a gubernio hitleriano promulgatae: "matrimonium vasectomiatorum non esse impediendum, ad mentem p. 2 can. 1068", i. e., si adsit dubium facti de eorum perfecta et insanabili impotentia, quod ne a medicis quidem practice solvi possit. Nam certum ius contrahendi non tollitur incerto quodam obstaculo (Cfr. Periodica, fasc. I, 1946, Sent. c. Wynen, diei 25 octobris 1945).

7. Vasectomiae aequiparanda est oclusio viarum spermaticarum, quae saepius quam in ductibus deferentibus residet in epididymis, quorum canaliculi ad ductus deferentes ducunt; impedit enim quominus semen ad extra eiaculari possit; atque generatim est consecrarium alicuius gravis accessus epididymitis, quae ex parte sua frequenter oritur ex morbo blenorragico. Itaque matrimonium illius, cum epididymi iam ante nuptias oclusi sunt et quidem absolute et definitive seu in perpetuum, ipso naturae iure est invalidum (can. 1068, p. 1).

Atque idem dicendum est si ver, carens uno testiculo, alterum habet atrophiatum vel eiusdem canaliculi omnino impervii sunt.

Cum vero recentioribus temporibus ars medica hac in re adeo progressa est ut obstructio viarum spermaticarum, quae hucusque pro insanabili habebatur, hodie frequenter sanari possit, oportet in casibus particularibus, uti diximus de vasectomia, demonstretur occlusionem epididymorum, et in genere, viarum spermaticarum, irreparabilem esse (Cfr. Torre, "Processus matrimonialis", ed 3.^a, pag. 667, Sent. coram Wynen, 29 iulii 1948, ubi describuntur diversae methodi arte medica adhibitae ad obstructionem viarum spermaticarum tollendam et earumdem probabiles vel improbables existus determinantur).

8. Iamvero non defuerunt quae, necessitatem veri seminis, i. e., in testiculis elaborati, ad constituendam impotentiam virilem plus aequo extollentes, iudicaverunt impotentes viros in quorum semine deficiunt nemasparta aut tantum mortua vel languescencia adsunt, idque ex duplici causa: tum quia, iuxta recentiore doctrinam biologorum et physiologorum, testiculi nullum liquidum, sed tantum nemaspermata elaborant, ideoque semen azospermaticum non est semen testiculare seu verum semen; cum quia frustra exigitur semen, quod necessario infoecundum erit, quodque evidenter actum per se aptum ad prolem generandam nullatenus constituere potest. Haec autem stare non possunt. Primum enim, i. e. quod testiculi non elaborant ullum liquidum, non potest proclamari uti scientificè certum. Praeclari physiologi non pauci contrarium sentiunt (cfr. S. R. R. D., 1941, vol. XXXIII, decis. XXVIII, n. 5, pag. 288, ubi plures citantur auctores germani. Consuli etiam potest P. Palmieri, qui plura castigatis verbis disserit circa verum semen et functionem epididymi in suo egregio opere "Medicina legale canonistica", ed. 2.^a, pag. 116-126). Ad summum, ergo, res esset dubia dubio facti, et scimus quid hoc dubium valeat in hac quaestione. Quin etiam, etsi aliquando verum demonstretur didymos ipsos, qui soli sensu medico specifico veniunt nomine testiculorum, nullum elementum liquidum sed sola nemaspermata elaborare, et primam substantiam liquidam in epididymo acce-

dere ut nemaspermata fiant viabilia, adhuc tenenda esset formula traditionalis "semen in testiculis elaboratum" ad significandum verum semen, nam licet didymus et epididymus realiter sint duae res distinctae, tamen, cum inter se cohaereant atque in eodem scroto inveniuntur, unum morale efficiunt atque complexus utriusque ex communi loquendi modo venit in doctrina iuris nomine testiculi, sicut secretae externae utriusque veniunt nomine seminis testicularis. Defectus igitur nemaspermatum per se non sufficit ut vir declaretur impotens in sensu canonico, non solum ad generandum, sed etiam ad coeundum; ac proinde in nullo casu prodest liquidum ei aculatum sub-

ficere examini microscopico, ut eruatur an aliquis vir praeditus sit semine infoecundo; atque, cum illicita sit procuratio seminis per turpem masturbationem, tale examen insuper prohibitum est in pertractandis causis matrimonialibus, nec considerata quidem sunt iudicia medicorum de eiaculato semine forte in actis contenta, ne Tribunalia Ecclesiastica indirecte cooperentur futuris legis moralis laesionibus (cfr. Sent. Rot. coram Wynen, 17 feb. 1951, in Ephem. "Monitor Ecclesiasticus", fasc. II, 1951, pag. 267-268).

Alteri obiectioni adversariorum, nimirum, quod frustra exigitur semen necessario infoecundum, quia coitus naturalis numquam aptus est ad novam vitam procreandam, nisi adsint spermia eaque viva, haud difficile respondetur, si attendatur ad rectum sensum illius expressionis "per se aptum", cui opponitur alia "per se ineptum". Sunt enim qui putant actum per se ineptum ad generandum, quoties obstaculum generationem impediens, est absolutum et perpetuum; per accidens vero, cum non est absolutum, ita ut, eo non obstante, generatio sequi possit, vel non est perpetuum. Sed hic intellectus verborum "per se", per accidens", non est probabilis neque respondet naturae verborum vi et communi loquendi usui, ut perhibet cl. Gasparri his lucidis verbis: "Illud" per se, ex se, de se, natura sua" monet nos considerare debere "ipsum actum" seu "ipsam copulam", quae perficitur in vagina; si ex eadem copula, attentis elementis quibus constat, secundum communem speciem actus generatio sequi potest, erit per se apta ad generationem; si, attentis elementis quibus constat, secundum speciem actus generatio ex eadem sequi nequit, uti est, e. g., copula spadonum aut depositio seminis extra vas, erit per se inepta ad generationem; demum si attentis elementis quibus constat, secundum communem speciem actus generatio ex eadem sequi potest, sed impeditur per particulare aliquod accidens sive intrinsecum sive a fortiori extrinsecum, etiam perpetuum et absolutum, erit inepta per accidens ad generationem, sed apta per se... Ita, e. g., supponamus semen viri ratione senectutis, nulla aut languida spermatozoïda habere ita ut sit certo sterile; et quoniam hic defectus procedit ex senectute, est quoque perpetuus. Iuxta datas notiones copula per se seu secundum communem speciem actus est apta ad generationem, quia adest verum semen modo naturali in vase debito depositum, et solum est inepta per particulare accidens senectutis" (De Matrim., 1932, vol. I, pag. 319-320, nota).

Qui autem obijciunt in casu azoospermiae ineptitudinem viri ad actum naturalem generativum esse per se, et non per accidens, pervertunt terminologiam seu rectum sensum verborum. Si quidem per se evenit effectus a causa in cuius natura est talem effectum causare; at effectus per accidens dici debet respectu causarum in hunc effectus per accidens dici debet respectu causarum in hunc effectum ita in-

fluentium non ex natura sua, sed propter unionem cum eo ab extrinseco sui et sine intentione causae deliberatae agentis.

9. Itaque praecedentem expositionem resumimus his verbis praeclarae sententiae Rotalis coram Wynen, 1941, supra memoratae: "Ex dictis iam patet quando in viro verificatur impotentia ob defectum veri seminis. Hoc enim ex duplici fonte oriri potest: siquidem aut testiculi semen producere non valent, aut semen in testiculis elaboratum ad extra exire nequit. Primum accidit si testiculi vel a nativitate adeo insufficienter evoluti sunt, ut semen producere nequeant; vel si post normalem evolutionem ob morbum venereum orchitis, in tali gradu atrophia affecti sunt, ut totaliter incapaces evadant ad semen producendum; alterum vero, quando canaliculi epididymi vel caeteri canales deferentes, ob epididymitem vel alium morbum in eo gradu obstructi sunt, ut semen in testiculis elaboratum ad extra axire non possit. A fortiori verum semen deest, si vir utroque defectu laborat, qui per morbum orchiepididymitem provocatur" (S. R. R. D., vol. XXXIII, dec. 28, n. 9).

10. Demum, cum causa de legitimitate proles ab actrice procreatae disceptata ac definita sit apud Tribunal saeculare, antequam quaestio de nullitate matrimonii ad nos deferretur, oportet hic quaedam circa competentiam in hac materia recollere, ut concludamus quamnam vim probandi in foro ecclesiastico sortiantur acta a magistratibus civilibus confecta.

Si controversia de legitimitate filiorum inter christianos pendeat ex validitate matrimonii, tunc nullum dubium est quin eam cognoscere et definire exclusive spectet ad iudicem ecclesiasticum; nam hic tantum est competens circa matrimonii valorem aut nullitatem; atqui qui videt causam principalem videre quoque debet accessoriam intime cum ea connexam. Si autem quaestio de legitimitate pendeat ex mero facto, num scilicet matrimonium sit celebratum, num proles ex marito revera nata sit, etiam definiri potest, probabilius ex iure proprio, atque certe ex tolerantia Ecclesiae, a iudice laico, cum haec praxis seu modus procedendi non praeiudicare videatur exclusivae competentiae fori ecclesiastici quoad causas matrimoniales (cfr. Vidal, o. c., n. 612, nota 41; Regatillo, *Ius Sacramentarium*, 1946, vol. II, n. 570). Atque idem dicas si, ut in casu praesenti, Tribunal civile sententiam protulit de illegitimitate proles tantum innixum in impossibilitate physica mariti ut accesum ad uxorem habuerit primis 120 diebus ex trecentis que filiae nativitatem praecesserint. Haec enim impossibilitas, sive ex probata absentia sive ex certa impotentia generandi deducatur, non est nisi quaestio facti, ab omni quaestione iuris separata. Unde, admissa competentia magistratuum laicorum, nihil impedit quominus documenta, quae in actis iudicii civilis prostant, pro-

bationes legales habeantur ad normam can. 1813, p. 2, collati cum art. 596, p. 7 Legum Processualium Civilium Hispaniae, atque eisdem in foro ecclesiastico uti possimus.

I N F A C T O

11. Utraque pars, se referens ad officia coniugalia, admittit copulam saepius locum habuisse seu virum in vaginam mulieris penetravisse, sed seminationem seu seminis eiaculationem excludit. Nam actrix, in excussione a medico coram Tribunali facta, fatetur: "Matrimonio saepe usi sumus, alterutro debitum petente. Maritus autem aliquoties recusavit, quod non valeret. Adfuit penetratio membri virilis, saltem partialis; at vero eiusdem erectio brevis erat atque semper eiaculatio desiderata est". Pariter vir conventus deposuit: "Officiis coniugalibus frequenter operam dedimus neque prolem procreavimus, cum semen a dextra emittere non potuissem. Erectionem quidem habebam, at brevem et insufficientem".

12 Causam vero suae impotentiae ad semen emittendum vir tribuit operationibus chirurgicis, quas multis annis ante nuptias subire coactus est ob morbum blenorragicum. Ait nempe: "Eiaculare non potui, quia, anno 1939, in nosocomio militari V., fistula in perinaeo affectus, operationem chirurgicam passus eram; et, postero anno, medicus Dr. M., in nosocomio N., mihi testiculum dexterum detraxit, necnon aliquot post menses in sinistro sectionem nervorum et suturam fecit". De operationibus chirurgicis, quibus vir conventus in nosocomio P. subiectus est, in actis prostat testimonium a medico, rectore nosocomii, exaratum; in eo autem sic describitur natura vel species operationum atque earumdenm tempus determinatur: "M., in hoc nosocomium ingressus est anno 1940; ob fistulam in perinaeo sitam, operationem chirurgicam subiit. Iterum ingressus in nosocomium anno 1942, ob fistulam in testiculo, alteri operationi chirurgicae subiectus est".

Etsi obtineri non potuit idem testimonium circa curationem viro convento factam in nosocomio militari V., eo quod sub ditione marxistarum haec civitas fuerit, tamen nullum dubium rationale moveri potest de curatione ibi eidem facta ob morbum venereum, in commercio cum meretricibus, tempore belli civilis, contractum. Sic deponunt, interrogatae ex officio, plene inter se cohaerentes, testes M. et S., familiares viri conventi: "Miles a marxistis ad bellum proficisci coactus est, atque a mulierculis infectus in genitalibus, V. curatus est. Postea, concluso bello, medicus Dr. M., qui supremum iam obiit diem, eum curavit atque unum testiculum extirpavit".

Porro ipse conventus hanc exposuit rationem operationum chirur-

gicarum: "Bello perdurante blenorragiam contraxi; quo morbo affectus, medici in nosocomio V. et P. mihi curationem praebuerunt".

13. His igitur praemissis, iam inquiri debet an vir conventus antecedenti et perpetua incapacitate emittendi semen laboraret.

Ille, ut primum scivit uxorem prolem habuisse, adiit medicum Dr. S. urbis B., a quo sui corporis inspectionem petiit et sequens testimonium circa conditionem genitalium impetravit: "Del reconocimiento a Dn. M., se desprende que falta el testículo derecho. El testículo izquierdo tiene un tamaño, forma y consistencia normales, pero el epidídimo parece ingurgitado y como en retención y a nivel del deferente se aprecian unos nódulos pequeños inflamatorios. La región próstata-vesicular se encuentra toda ella esclerosa y atrópica. La expresión digital de estos dos órganos consigue escasa secreción en la que no se consigue ver espermatozoides. No es posible el examen directo del esperma, puesto que dice el enfermo que este líquido no aparece durante la eyaculación". Quae coram iudice ecclesiastico medicus sub fide iurisiurandi firmavit; consulens autem adnotationes in regesto habitas, adiunxit: "Si bien dijo el enfermo, según mi ficha, que a los treinta años padeció una blenorragia, de la que también dice que curó al poco tiempo, el absceso perineal que presentó al cabo de un año de la blenorragia y la orquitis que se desarrolló a los dos o tres meses de este absceso, que obligó a practicar la castración del testículo derecho, al mes, no es seguro que pueda ser atribuído a su blenorragia padecida un año antes. Es posible que el absceso perineal tuviese un origen prostático, puesto que dió lugar a una orquitis supurada y estos abscesos es más frecuente que tengan un origen en una infección de origen sanguíneo por gérmenes supurativos banales tipo estafilococo. La próstata atrófica podría ser la consecuencia de la cicatrización del proceso supurativo prostático que suponemos existió. Este mismo proceso atrofiante de la próstata podría englobar el extremo del conducto eyaculador del testículo izquierdo obstruyéndolo y dando lugar a la ingurgitación del epidídimo y a los nódulos del conducto deferente". Tamen, bene pensatis omnibus quae in actis prostant, Iudices censent non ambigendum esse quod in hoc casu, ut plerumque fieri solet, fistulae et earumdem sequelae pessimae morbo blenorragico debeantur.

Vir, obtento praeterea altero testimonio a medico, rectore nosocomii B., quo attestabatur se passum esse operationem chirurgicam ob fistulam in perinaeo, et castrationem ob fistulam in scroto sitam, ex tuberculosi venerea proveniente, promovit causam paternitatis quoad puellam, ab uxore sua in lucem editam, et in iudicio civili probavit se non posse esse patrem huius puellae, quod tribus annis ante communio vitae coniugalis abrupta esset vel maxime quod incapacitate ad filios procreandos laboraret.

Etenim tres midici, qui de mandato tribunalis civilis peritiam exararunt, communi suffragio, concluderunt virum, attentam genitalium eiusdem conditione, non potuisse prolem generare post operationes chirurgicas, quas pluribus annis ante nuptias subierat. Quam ob rem tribunal civile paternitatem puellae ei abiudicavit.

14. Cum hi medici inducti sint ex officio tamquam testes in praesenti causa, praestat recolare quae attestati sint circa impotentiam viri in sensu canonico considerata.

Primus medicus, Dr. J. C., sua peritia sub fide iuramenti confirmata, adiunxit: "Dictamen peritiale, apud tribunal civile exaratum, innixus sum testimonio ex regesto nosocomii deducto, necnon etiam in inspectione ipsius viri. Eumque habeo capacem copulam peragendi, incapacem autem ad semen emittendum, nam uno testiculo caret, alter vero est atrophiat, cum sclerosus appareat, ita ut semen emitte- re non possit. Hic defectus organicus perpetuus est, neque sanationem admittit".

Alter medicus, Dr. G., qui corpus viri quoque inspexerat, praemina eadem confirmatione peritiae sub iuramento, addidit: "Testiculis ob fimiā veneream inflammatis, tandem unus extirpatus est uti constat in testimonio nosocomii atque ipse vir fassus est. Alter testiculus, qui laesionem ob eandem infirmitatem ostendebat, ut saepe fieri solet, etsi a morbo venereo sanatus, plena atrophia affectus fuit. Nam induratus erat propter fibrosim quae texto testiculari successerat. Unde potius quam testiculum vir habet massam duram, incapacem functionem suam exercendi. Est igitur incapax non tantum ad generandum, sed ad copulam coniugalem perficiendam, nam, etsi coitum peragere posset, tamen verum semen emitte- re nequit, sed ad summum liquidum prostaticum eiaculari. Aliunde sanabilitas excludenda est, cum testiculus functionaliter destructus seu atrophiat, restaurari non possit".

Tertius medicus, Dr. Q., etiam sub iuramento ratam habuit suam peritiam, sed declaravit se dictamen peritiale protulisse, nulla inspectione viri praehabita, innixus tantum documento a iudice civili sibi exhibito, quo conditio genitalium illius constaret. Concludit tamen suam depositionem his verbis: "Tunc mihi mens fuit virum semen emitte- re non posse ex operationibus chirurgicis, quas ob tuberculosis veneream passus erat; atque defectus eiusdem esse insanabiles".

15. Cum istis medicis concordant duo periti a Tribunali Ecclesiastico constituti. Quorum unus, Dr. C., ginecologus egregius, in peritia haec tradit: "Agitur in casu de impotentia coeundi absoluta et anatomica, quia vir testiculo dextero orbat, et in sinistro, voluminis plus aequo, deteguntur cicatrices, quae evidenter ostendunt supurationes et fistulas habuisse, probabiliter ex fimia genita-

lium ortas. Praeterea canaliculus deferens est induratus et sclerosus ideoque obstructus. Inde patet semen ad extra eiaculari non posse. Impotentia eiusmodi nullatenus sanari potest. Vir mihi manifestavit subsecutam esse matrimonio, tamen censeo eum impotentia ante nuptias laboravisse, id est, ex tempore detractionis testiculi”.

In nova excussione iudiciali, cui conventus coram Tribunali Diocesis U. subiectus est, ut explicaret cur Tribunali Majoricensi deposuisset in primo examine se, nuptiis contractis, non potuisse unquam semen emittere, et perito, doctori C. manifestasset suam impotentiam matrimonii celebrationi posteriorem fuisse, sic contradictionem apparentem solvit: “Interrogatus ab illo medico an matrimonio usus essem, affirmative respondi. Medicus autem id fieri non posse arbitratus est ob operationes chirurgicas peractas. At, cum ei ita objicienti explicavissem me matrimonio uti tantum posse brevissime seu per pauca temporis momenta, tunc mihi medicus credere visus est”. Unde bene solutam contradictionem Iudices habent, cum vir semper asseruerit se matrimonio usum esse hoc sensu, quatenus copulam brevem peragebat, sed semper impeditum esse quominus semen emitteret. Discrepantia igitur inter peritum et virum conventum fuit tantum circa capacitatem erectionis, quam primus perrexit omnino excludere in depositione facta post peritiam coram Iudice; vir autem conventus, cui, attentis allegatis et probatis maior fides praestanda est, sustinuit se, capacem cuiusdam brevis erectionis, copulam peregissem, etsi non cognalem ob defectum seminationis.

16. Substantialiter idem exposuit alter peritus, cl. medicus ginecologus, doctor E., qui in sua peritia haec habet: “En el escroto y lado izquierdo del periné existen restos cicatriciales de lesiones e intervenciones pasadas. Sólo se palpa el testículo izquierdo, que es grande y algo duro. Su epidídimo es de consistencia fibrosa, retraído y con algunos nodulillos”. Porro ex conditione genitalium et arte medica concludit: “Existiendo sólo un testículo, cuyo epidídimo posee todas las características de haber sufrido una grave inflamación específica, incompatible con la permeabilidad de los conductos seminíferos, inflamación que tuvo por consecuencia el que se produjesen, como es frecuente, trayectos fistulosos en escroto y periné, que obligaron a dos intervenciones, como consta en los antecedentes del paciente, podemos afirmar: que existe una impotencia “generandi” por azoospermia, anterior al matrimonio. La potencia “coeundi” puede estar conservada, pues no es probable que el insulto inflamatorio lesionara gravemente los nervios erectores. De existir una impotencia “coeundi”, sería relativa, funcional, perpetua y anterior al matrimonio”. Cuilibet in iurisprudencia versato perspicuum est, si accurate perpendat omnia dicta in hac peritia, in primis terminos “impotentia generandi” et “impotentia coeundi” usurpatos esse, non sensu apud canonistas, sed

apud physiologos communiter recepto. Nam, iuxta physiologos, impotentia coeundi est incapacitas viri penetrandi suo membro erecto vaginam mulieris etiam praecisione facta ab effusione seminis ibi pe-racta, quo sensu etiam eunuchi potentiam habere possunt coeundi; impotentia autem generandi est quaelibet incapacitas seminandi in-tra vaginam penetratam aut quodlibet vitium organicum impediens foecundationem aut generationem. Porro invitatus ipse peritus a Ju-dice, ut explicaret cur indicaret virum laborare impotentia generandi ob azoospermiam, respondit: "Vir inspectus impotens est, quia ad extra eiacularare nequit semen, quod forsan in testiculo sinistro habeat, cum epididymus sclerositate et duritie sit affectus et obstructus". Un-de ex mente periti vir laborat vera impotentia in sensu canonico seu incapacitate semen emittendi, eaque ob defectum peritus interrogatus quid voluerit significare, cum asseruisset in peritia virum laborare im-potentia functionalis relativa, respondit: "His verbis exprimere volui virum ad summum habere posse copulam brevi duraturam ob defec-tum erectionis sufficientis. Hoc autem ei cum quacumque muliere accideret". Ita facile sunt enodatae difficultates, quas Vinculi Defen-sor curavit ingenii industria, pro suo officio, deducendas ex termino-logia, ab hoc perito non ad apicem iuris canonici adhibita. Nam ex dictis mens periti clara et aperta manet atque consentanea est iudi-cii aliorum medicorum.

Nihil ad rem interest utrum nemaspermata, si dentur in testiculo, prorsus inhabili ad ea emittenda, mortua sint necnè; quapropter ab-jicienda est bioxia testiculi, a perito suggesta ad azoospermiam com-probandam, cum sit medium extraordinarium atque insuper in iudi-cii ecclesiasticis prohibitum, ut supra diximus, ne ansa praebeatur aliis mediis certe illicitis semen procurandi.

17. Iam vero ex allatis peritiis, necnon ex testimonio aliorum medicorum, qui religione, fide et scientia commendantur, cum unus testiculus virum deficiat, alter vero deformatus sit, aut saltem semen forsitam elaboratum non potuerit eiaculari a dextra ob completam et inveteratam viarum spermaticarum occlusionem, quin ullus medicus putare possit sanationem esse possibilem, concludi debet eundem vera impotentia, matrimonium impugnatum antecedente atque perpetua la-borare, quae ipso naturae iure matrimonium dirimit.

18. Quibus omnibus in iure et in facto sedulo perpensis, Nos in-frascripti Iudices, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes:

ET CHRISTI NOMINE INVOCATO

Decernimus et definitive sententiamus ad dubium respondum es-se: **AFFIRMATIVE**, seu *constare de nullitate matrimonii in casu* ob

impotentiam viri, vetito eidem transitu ad alias nuptias. Attenta paupertate utriusque partis, nulla fit condemnatio expensarum iudicialium.

Ita statuimus ac pronuntiamus, mandantes locorum Ordinariis atque ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut executioni committant hanc nostram definitivam sententiam ad normam sacrorum canonum.

Datum ex aedibus Tribunalis Dioecesei, Palmae Majoricarum die 12 iulii 1957.

Josephus RODRIGUEZ, Officialis-Ponens

Andreas CAIMARI, Iudex Prosynodalis

Joannes ENSEÑAT, Iudex Prosynodalis

Bartholomaeus VAQUER, Not.—Actuarius